



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

XXI. Calendae, & Nonae Mensis Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

## CAPVT XXI.

Calendæ &amp; Nona mensis Augusti.

SExtum à Martio, qui sub Romulo initium anni dabat mensē, priores Romani sextilem, posteriores in Octavii Cæsaris honorem Augustum dixerunt. Nam ut Senatusconsultum apud Macrobiū, ea super re loquitur (a) cum Imperator Augustus mense sextili primum consulatum inierit, & triumphos tres in Prebetintraierit, & ex Ianiculo legiones deducta, secuta sunt eius auspicia ac fides; Ægyptus hoc mense in potestate populi Romani redacta, sinque hoc mense bellis civilibus impositus sit, atque ob has causas, hic mensis huic imperio felicissimus sic ac fuerit, placere Senatui, ut hic mensis Augustus appelleretur. Debet & apud Lindam Marianam hic mensis, Augusti nomen retinere, cujus proximis Iduum diebus, augusta cæli terraque Regina atque Imperatrix MARIA, in sui assumptione corporis, Imperii possessionem in cælo capeffivit. Sed & in terris quanta Augusti eius Imperii fuissent edita monumenta, nisi illæ belli tempestates, quæ Poloniam inundaverant, in Prussia quoque cepissent defavire! Et tamen ne sic quidem ceteris huius anni mensibus multum concesserit. Interim historiae nostræ colophonem addat: quo & nos coacti sumus veteres migrare coloni.

(a) Saturn. l. I. cap. 12.



## I.

In præsentibus belli tempestatibus, multis  
tutus apud Lindam  
receptus.

Quod in maris & undarum, hoc & in Martis ac  
bellorum tempestatibus quærere maximè solent  
mortales, fidam nimirum stationem, aut tutum, vel  
ad tempus receptum. O quantæ bellorum tempesta-  
tes uno propè momento nobilissimum Poloniae re-  
gnum, Regniqûe provincias fere omnes involve-  
runt hoc tempore! Ad illam, quæ à Cosaccorum  
turbine aliquot tenuerat annos procellam, quanti è  
Moschoviâ superiore anno, tum in Lituaniam, tum  
in Vkrainam sese fluctus evolverunt! Et ecce, ne  
quid alicubi esset tranquillitatis, subito è Suecia  
quoque fluctus, non Livoniam modò & Samogiti-  
am, aut Lituaniam, verùm & Poloniam majorem  
ipsaqûe adeo Regni viscera concusserunt! In tot ac  
tantis tempestatibus adhuc malacia Prussia habe-  
bat, quamvis venti undique perflantes futurorum  
quoque fluctuum, ne dicam naufragiorum, præ-  
nuntii non deessent: præsertim cum à Marchia  
quoque Brandenburgica Zephyri, non sine procellæ  
metu, adspirarent. In hac ergo rerum tempestate  
qui non undique ad Lindam Marianam concursus?  
Hincalii, Vilnâ Moschis nefariè jam proditâ, tum  
inde, tum Grodnâ atque è reliquis Lituaniæ locis,  
alii è remotioribus Russiae provinciis, alii è Samo-  
gitia, alii è Masovia, cum receptum in Prussia spe-  
rarent ac quærerent, Lindam frequentissimi accur-  
rere.

Eee 5

rère.



rêre. Alii, ex ipsa præsertim Prussia, rebus jam turbidis ac turbatis, tranquillitati conscientiæ consulenti, tametsi paulò antè Lindam revisissent, iterum, non tantùm, si quid sententiæ exhauriendum restaret, sed si quid etjam speciem umbramvè in conscientia referret mali, ut excuterent, accelsêre. Alios non tam sua, quàm publica omnium patriæque salus eodem compulit, quos vidisses non modò recepto alias more, verùm & prostratis in modum crucis humi corporibus, gemitu & comploratione miserabili cælum pulsare. Ut alios omnes silentio præteream, Virginem unam præterite non debeo. Ea est N. Chalecia, illustrissimæ ex ordine senatorio apud Lituanos familiæ: quæ tametsi nulli se Regularium Ordini votis adstrinxisset, voto nihilominus perpetuæ castitatis virginitatem suam, Christo multis retro annis consecravit; & apud Sanctimoniales D. Benedicti regulam professas, Vilnæ sedem fixerat; sed in vicino S. Ignatii ad domum probationis templo, instar Annæ Phauelis, serviebat Domino, *die ac nocte ieiunio & obsecrationibus* (a) intenta: cujus quidem templi apparatus sacrum, tum hæreditariis facultatibus suis, tum multo magis manuum suarum industriâ & phrygio opere, quo excellit, magnopere auxerat. Ad primam belli in Lituania à Moscho procellam, Vilna Grodnam se receperat; verùm cum hîc quoque in tuta viderentur omnia, Resselium diu ante cum adjunctis ejusdem instituti virginibus, concessit. Ibi cum degeret, nihil antiquius habuit, quàm si ad Lindam

(a) *Luc. 2. 37.*



dam identidem sese pedes reciperet, & si aut tem-  
pora, aut conditio sua pateretur, perpetuam ibi se-  
dem figeret.

## II.

Jubilæi promulgati usura multos Lindam  
excivit.

Commotos fluctus maris atque furias, affuso iis  
oleo mitescere ac componi, sunt, qui prodidère (a)  
auctores. Non quodcumque, sed de penuriam cæli  
promptum erat, quod ad componendas tantas bel-  
lorum in Polonia procellas, affundendum censuit  
optimus atque sapientissimus Romanorum Ponti-  
ficum Alexander VII. Quantum id profuerit, cum  
res ipsa loquetur; tum, qui rem spectant, haud gra-  
vatè, etiam libris editis testabuntur. Quanquam e-  
statijam sunt, qui confestim ad componendos ani-  
morum conscientiarum que suarum fluctus, Lindam  
eo tempore appulerunt. Tamen enim alibi quoque  
esset hoc tempore facultas Sacerdotibus, quoad sol-  
venda peccatorum vincula, de benignitate sedis a-  
postolicæ collata; plerique tamen ad hanc etiam  
Deiparæ Lindensis benignitatem, si non necessariã,  
certè percommodam reputarunt. Itaque non pauci,  
qui paulo ante Lindæ fuissent hac quoque de causa  
recurrerunt. Institutæ tû ab his, tum ab aliis pluribus  
generales de tota vita exomologeses, & animi ad-  
versus tum ingruentia, tum quæ deinceps ingruere  
possent undecunq; pericula atq; noxas, egregiè con-  
firmati.

## III.

(a) Ioan. Bapt. Porta l. 1. de Mag. nat.



## III.

## Pedum usus restitutus.

Ioannis V Vern, è Krekollen, municipii Heilsbergensis pago, uxor Catharina, utriusque pedis usu, incertum qua ex causa, jam ante quinque annos amiserat, ut non nisi fulcris ac sustentaculis ni-xa per triennium movere se ac progredi utcumque de loco posset. Duos ante annos votum peregrinationis Lindensis nuncupavit, & jam tum amissam gradiendi pedumque facultatem recepit. Ab eo proinde tempore. Lindensem peregrinationem strenuè frequentat; quotannis, dum vixerit, frequentatura.

## IV.

## Cæcus illuminatus.

Andreas Teicher, è Vormditensis agri pago Sommerfeld oriundus, atque opificio rotifex, necdum prætergressus erat sextum ætatis annum, cum videndi sensum atque usum amisit. Tumor enim, ab internis, ut credebatur, ulceribus productus, etiam oculos quasi sedibus suis protruserat, ut, quantum eminent ipsi ac protuberarent, tantum incapaces offusæ undique lucis essent, adeoque puer omnino cæcus, non nisi aliorum ductu promovere gressum posset. Mater juxta pueri ac suam deplorans calamitatem, omnem in Diva Lindensi spem reposuit non ignara Dei Matris præsidio, tam grave quoque malum depelli posse. Neque spes irrita fuit; necdum enim puer Lindam devotus, viam erat ingressus, cum



cum illi facultas videndi est restituta. Tanto quocirca maturius ad agendas sospitatrici gratias eum deduxit, ipsa aut deduci mater curavit. Sed & ipse sua deinceps sponte, etiam cum mater ante quadriennium obiisset, peregrinationem Lindensem saepius obit; atque, ut obeat, ipsius loci sacri aspectu magis ac magis excitatur.

V.

Infanti maligna febris abigitur.

Barbara & Sibylla Hartwichtianæ, Heilsbergâ oriunda, quarum hæc Laurentio Gorrio nupta est, illa Petri Iauch nuper defuncti Consulis Seeburgensis vidua, germanæ sorores, & matronæ inter suos honestissimæ, germanam Deiparæ Lindenhi observantiam simul detulerunt, ad quam Barbara tabellam argenteam duorum circiter Philippæum pondoo, anathema adjecit; Sibylla verò votum pro infante filiola Anna absolvit. Maligna prorsum ac letalis infantem febris per octo dies afflixerat, ut nihil nisi mortem opperienti cereus accensus admoveretur. Cæterum, ubi opis, præsidii quæ causâ Virgo Lindenensis est interpellata, removeri cereum par fuit, quia subito & infanti vitæ, & matri cæterisque omnibus tum lætitiæ, tum pietatis lumen affulit.

VI.

Mulier in partu plurimum  
adjuta.

Ioannes Seinert ejusdemque conjux Elisabertha  
cives Resselienses, votum cum gemino anathemate  
Divæ



Divæ Lindenfi dependerunt: quorum alterum eræ numisma ex argento deauratum, duûm propè Philippæûm pondo, alterum brachiolum itidem argenteum, unius pondo Philippæi. Atque illud quidem, quod filiolo suo gestandum paraverant, post eisdem obitum consultius Deiparæ dedicandum censuerunt, hoc verò monumentum esse voluere feliciter editæ in lucem novæ prolis. Gravida enim mater cum ad fortuitum hominis cujusdam, qui brachium enormiter ac fædè læsum habebat, aspectum confectata vereretur, ne qua forte noxa, aut saltem nævus proli inde oboriretur, votû Deiparæ pro incolumitate partus fecit: quem quia feliciter, sine omni corporis vitio enixa est; beneficii memor & grata, comitante ultro conjuge, monumentum pedes Lindenfi deportavit.

## C A P V T XXII.

Dies Iduum sextilium.

§ Ivel ob unicum Assumptionis B. V. Festum, Augustus mensis augusto Mariæ nomini, ne dicam Numini debetur; quod initio proximi capitis diximus, quid sibi non vendicent festa tum B. V. ad Nives ipsis Nonis Augusti; tum S. Dominici (qui & ipse VIII. Id. Augusti cælo natus est; quanquam natalis ejus prid. Non. summo Pontifice ita jubente celebretur, & Ordo ipsius, teste S. Antonio (a) vocatus initio est fratrum B. Virg. MARIÆ) tum aliorum Deiparæ servorum, quos in Kalendario suo Ba-

lingem

(a) 3. part. tit. 23. c. 10.